



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm II. Svb Leone I. In causa Hilarii Arelatensis episcopi
anno Domini CCCCXLV. celebratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

CONCILIVM ROMANVM II.
SVB LEONE I.In causa Hilarii Arelatensis episcopi anno Domini
CCCCXLV. celebratum.

NOTÆ.

Cur Hilarius apud sedem apostolicam denuntiatus fuerit.

Hilarius in Synodo convictus Arelaten rediit.

Apostolicæ sedis auctoritas quæ & quanta.

^a *Concilium Romanum.*] Cum Hilarius Arelatensis episcopus, Patrocli aliorumque antecessorum suorum vestigiis insistens, contra Taurinensis Concilii definitionem, Bonifacii & Cælestini pontificum constitutionem, in Viennensi & Narbonensi prouincia, episcopos deponere, aliosque in locum adhuc viuentium substituere præsumpsisset, apud sedem apostolicam iure meritoque hanc ob rem denuntiatus, ad sui defensionem sponte se Romam contulit. Hac Synodo Romæ anno Domini 445. celebrata conuictus, nulla licentia expectata, nullaque abeundi licentia impetrata, Arelaten rediit. Quæ post abitum illius in Concilio acta fuerint, sanctus Leo in epistola 89. ad Viennenses scripta prolixè recenset. Sententiam in eum pronuntiatam, Leonis pontificis rogatu, Valentinianus imperator dato rescripto ad Aetium magistrum militiæ in Gallia executus fuit. Extat rescriptum Valentiniani inter nouellas Theodosii Cod. Theod. tit. 24. de episcopis ordinandis: quod inter cetera præclara de auctoritate Romani pontificis hæc habet: *Et erat ipsa quidem sententia (Romani pontificis) per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti pontificis auctoritate in ecclesiis non liceret? sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne ulterius vel Hilario, quem adhuc episcopum nuncupari sola mansueti præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani pontificis liceat obuiare: ausibus enim talibus fides & reuerentia nostri violatur imperii. Et paulo post: Hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam episcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum contra veterem consuetudinem liceat sine viri venerabilis papæ Urbis æternæ auctoritate tentare. Sed illis omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas, &c.* Integrum edictum recenset Baronius anno 445. num. 9. & 10.